



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 90119266

§. 34. Injuriosum edictum contra eundem Cardinalem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

§. XXXIV.

Sæc. XVIII.
A. C. 1710.

*Injuriosum edictum contra Turnonium
Cardinalem.*

Jam eo temeritatis devenerant Macaonenses Mandarinii, ut cunctos Sinenses, qui in Cardinalis famulatu essent, ne deinceps eidem operam præstarent, juberent, imo in ipsos quoque Christianos sævirent; quippe interrogati a militibus, an Catholici vel Cardinalis famuli essent, id affirmantes fœdum in modum verberibus afficiebantur: imo quemdam militem sola suspitione persuasi, quod pretio conductam Oryzam ad Cardinalis domum inferri permisisset, catenis constrinxerunt. Eadem quoque die Macaonensis Mandarinus a Turnonii hostibus incitatus, insciis Mandarinis superioribus edictum Cardinali summopere injurium, quo omnibus famulis Sinensibus ibidem commorantibus, ut intra biduum inde emigrarent, injunctum, ad Turnonii portam publice affigi jussit. Erat autem hujus edicti tenor sequens: „Provinciæ Kuantonis Hianxanæ Civitatis Præfecti Castrorum Adjutoris mediæ Agminis Ducis universus legatus regendo sinistro agmini commissus. Tibi „Ning constat, notumque sit: cum per-
„spexe-

*Crescimb.
Vit. Card.
Turn Rel.
de antiq.
Sinens. Relig.*

Sæc. XVIII. „spexerim, *Tolo* Imperatoris mandato
 A. C. 1710. „missum Macaonem fuisse, & præscri-
 „ptum esse, ut diligenter custodiat, „
 „ita, ut non liceat infimis hominibus,
 „simul cum illo inito consilio, aliquam
 „fugiendi artem, data pecunia, inique
 „moliri. Visis etiam aliis fundamen-
 „tis, ideo civiles & militares Præfecti
 „miserunt milites, qui alternis vicibus
 „excubias agerent. Nunc autem sunt
 „Sinenses quidam, homines scilicet
 „omni auxilio destituti, qui simulatio-
 „ne, & nomine Religionis suscipiendæ
 „versantur in Domo *Tolo*, euntes &
 „revertentes, leges Imperii graviter
 „violantes. Id quidem jam denuntiavi
 „Superioribus Præfectis, a quibus e-
 „dictum fuit, ut homines illi appre-
 „hensi in patriam reducantur. Id de-
 „bet publicari. Quapropter notum
 „facio Sinensibus Christianam religio-
 „nem professis, ut intra duos dies, qui
 „manent in domo *Tolo*, ab ea singuli
 „discedant, & exeant, aliam, qua
 „vitam sustentent, artem quæsituri.
 „Siquidem si qui sint, qui non pareant,
 „liceat militibus excubias agentibus sta-
 „tim ipsos apprehendere, vinctosque
 „in Prætorium nostrum ducere, ut postea
 „iterum ducantur ad Præfectos Superio-
 „riores examinandi, & plectendi. Vo-
 „bis, quotquot estis, id reverenter ex-
 „quen.

„quendum est, nec id flocci faciatis. Sæc. XVIII.
 „Videte, ne qua in re mandatum istud A. C 1710.
 „violetis. Id expresse denuntio. Im-
 „perantis Kang Hy anno quadragesi-
 „mo octavo, duodecimæ Lunæ 22. Id
 „in loco, quo *Tolo* habitat, publica-
 „tum & affixum fuit. „

Ad tam probrosi edicti injuriam ac-
 cessit, quod Urbis Procurator Pro- Re-
 gem Cantonensem rogarit, quatenus
 ratum habere velit, ut Urbis nomine
 idoneam cautionem de exacta Cardina-
 lis custodia præstaret: Re comperta
 Turnonius, cum probe prospiceret,
 quod ejus hostes sub cautionis obtentu
 illum in quadam arce includere tenta-
 rent, Patrem Petrum Munnoz Domi-
 nicanum ad Pro-Regem Cantonensem
 ablegavit, ut expositis injuriis sibi per
 Macaonenses illatis, ipse pro Cardi-
 nale, quod nunquam fugiturus esset,
 cautionem præstaret: Annuere Pro-
 Rex & Thesaurarius, qui Cantonensis
 Urbis Governatorem Macaoum, ut in
 rei veritatem inquireret, ablegarunt,
 ast hic a Turnonii hostibus auro, pre-
 tiosisque donis corruptus, nec Turno-
 nii verbis nec aliorum testimoniis de-
 tulit, sed cuncta in favorem Macaonen-
 sium Pro-Regi retulit, quocirca Tur-
 nonius omnis auxilii spe destitutus,
 acerbioribus adhuc angustiis & calami-
 tati-

Sæc. XVIII. A. C. 1710 tatibus exponebatur: plurimum quo-
 que auxit dolorem afflictissimi Cardina-
 lis, quod Sedis Apostolicæ Legatus
 & Sanctæ Ecclesiæ Cardinalis, ac Pa-
 triarcha tam indigne habitus, tot ca-
 lumniis obrutus per gentilium tribu-
 nalia traduceretur, non alia ex culpa,
 nisi ob defensam fidei integritatem, &
 calumniosam fugæ suspicionem eo sine
 ab ejus hostibus confictam, ut ex Ju-
 dicis sententia Cardinalem carceri man-
 cipare, & quem palam occidere non
 auderent, fame, & carceris squallore,
 aliisque ærumnis conficere possent, ipse
 que percusso Pastore oves dispergere,
 prohibitosque ritus impune docere, in-
 tegrum esset: Quamvis ergo Turnonius
 adversantium odio, Mandarinorum per-
 fidia, & corrupta Judicum æquitate
 omnem liberationis spem sibi præcisam
 cerneret, dissimulato tamen dolore literas
 ad Sinensium Imperatorem dedit, in qui-
 bus eidem significabat, se a summo
 Pontifice Romana Purpura decoratum
 fuisse, & sex Europæos ea de re mis-
 sos Macaoum adventasse, horum tres
 Majestati suæ ob scientiarum præstani-
 tiam Peckini perutiles fore, ceteros
 vero pariter suum obsequium coram
 Imperiali ejus Throno exsoluturos. Has
 literas Cardinalis jussu Munnozius Man-
 darinis dedit ad Imperatorem trans-
 mit-

mittendas, quas tamen hi recipere ter- Sæc. XVIII.
 giversabantur, veriti, ne Cardinalis A. C. 1710.
 eos ob illatas vexationes apud Im-
 peratorem detulisset: tandem vero præ-
 fato Patre nil nisi obsequiosa contineri
 attestante, Cardinalis literas ad Im-
 peratorem transmiserunt. Hunc favo-
 rem grato animo excipiens Cardinalis,
 hæc P. Munnozio rescripsit: *Forte Deus*
usus est contradictionibus mihi factis, ut su-
prema summi Pontificis dignitas in
in his terris ab aliquibus tantopere con-
tempta magis elucesceret, atque ad hoc Re-
verentia vestra instrumenti vices egerit. Re-
cognosco per omnia affectum Reverentiæ
vestræ, quæ noluit resugere laborem, quo
minus spiritum ac Zelum in defendenda S.
Sede, ejusdemque Ministris, Ordini suo
proprium accumularet. Insuper Turno-
 nius die quarta Martii epistolam scri-
 psit, in qua Cantonensi Pro-Regi vio-
 lentias, injuriasque, quibus afficere-
 tur, exponens, opportunum remedium
 opponi petebat: Alias etiam literas
 dedit ad Peckinensis Provinciæ Præsi-
 dem, necnon die secunda Aprilis ad
 Comitem de Lizaraga Insularum Phi-
 lippicarum Governatorem, qui eidem
 fugiendi occasionem offerebat, quocirca
 hic eidem de benevolentia Missiona-
 riis Biretum deferentibus exhibita gra-
 tes referens, inter alia hæc rescripsit:
Hist. Eccles. Tom. LXVIII. K Igi-

Sæc. XVIII. Igitur Illustrissima Dominatio vestra, qua
 A. C. 1710. partem satis magnam sibi vindicat in hac
 officiosa & sacra expeditione, spero, quod
 licet frustraretur effectu (quod Deus avertat)
 omnes modos & media excogitabit, quæ affectuosa
 sua pietas ipsi dictaverit, pro defendenda gloria
 nostræ Sacræ Religionis, & pro honore atque auctoritate
 supremi Capitis ejusdem tantopere contempti ac despecti
 propugnandis, sed nolim, ut ageretur quicquam,
 quo me videretur eripere de manibus persecutorum
 meorum, qui insurrexerunt contra me, calumniando
 me in Tribunalibus Gentilium. Illud enim foret mihi
 ingratum, qui eo dilapsus non sum, ut patiendi (*)
 pertæsus, deesse velim meo officio &c.

Quoniam vero Pontifex a Turnonio edoctus fuisset,
 quod idem Governator non modo huic Cardinali,
 sed ceteris etiam Evangelicis Operariis cum eorum
 collaborantibus in maximis eorum ærumnis
 auxilium præstitisset, hinc Papa eidem hanc
 benevolentiam literis gratitudinis significatione
 & mutui favoris promissione plenis die vigesima
 quinta Augusti anno hujus sæculi undecimo datis
 compensabat.

Ex

(*) En! quam falsus fuerit hostium suorum obtentus,
 quasi Turnonius aufugere molitus fuisset.

Ex ipsis hisce verbis patet palmaris meditatae fugae calumnia, quam infensissimi ejus hostes unice Turnonium opprimendi studio excogitarunt; semper etiam a Missionis ministerium dimittendi proposito eum fuisse alienum testatur summi Pontificis responsum, quod ipse eidem ad ipsius epistolam die decima quarta Maij anni sequentis dederat, his verbis conceptum: „Ubi „cognita nobis, & tot, tamque illustribus argumentis testata jam non „esset apostolici Zeli tui magnitudo, „eam vel maxime colligere possemus „ex tuis literis die trigesima Novembris 1709. ad Nos datis, quibus tametsi Te integra isthinc abeundi, & Europam repetendi libertate frui contingeret, tibi nihilominus, nec praeteritarum ærumnarum recordatione, nec praesentium sensu, nec etiam metu futurarum perterritio, quippe qui non facis animam tuam pretiosorem quam Te, omnino fixum, constitumque esse significas, pro tuenda Orthodoxae Religionis, ac jurisdictionis Apostolicae causa in statione tua permanere, oblata ad id, ubi opus foret, etiam ipsa Cardinalitiae dignitatis dimissione. Studium provide hoc tuum, tuamque Sacerdotali pectore plane dignam constantiam, ac in primis excelsam

Sæc. XVIII.
A. C. 1710.

K 2

„illum,

Sæc. XVIII. „illum, quem ipsis in literis abunde pro
 A. C. 1710. „dis, quarumcunque humanarum rerum
 „pro Divini Nominis gloria & anima-
 „rum salute contemptum debitis lau-
 „dibus commendamus. Ceterum quam-
 „vis gratissimus Nobis esset tuus ad ve-
 „nem reditus jam dudum a nobis ma-
 „gnopere exoptatus, ut præsentem Te
 „paterna charitate complecti, tuisque
 „consiliis, & opera in Sancta Dei Ec-
 „clesia hoc præsertim jam difficili, &
 „turbulento tempore administranda ut
 „possemus; nihilominus cum Catho-
 „licæ fidei, & hujus sanctæ Sedis cau-
 „sam desiderio nostro anteferri æquum
 „omnino sit, ubi aliqua spes affulgeat fore
 „ut tua in istis partibus prorogata præ-
 „sentia res Missionis pacari, atque com-
 „poni possint, Tibique præterea fas
 „isthinc commorari, tuum ab Indiis nun-
 „quam discedendi consilium (quod
 „ceteroquin spectatæ prudentiæ, arbi-
 „trioque tuo ex integro suscipiendum
 „relinquimus) usque quo tam sanctum
 „opus omni ex parte perfici, absolvi
 „que contingat, nostrumque in primis
 „ac tua de Ritibus, ac Cæremoniis
 „nensibus edita Decreta ab omnibus
 „& singulis, ad quos spectat, debite
 „executioni demandata fuerint, plene
 „animo approbamus.„